

1. Lederer, Michael : De jure domini .1659.
2. Lyser, Wilhelm : De liti denunciatione .1659.
3. Nerger, Frachim : De jurisdictione .1659.
4. Nerger, Frachim : De obliqua, per fideicommissum, delata hereditate .1659.
5. Nerger, Frachim : De jus maritimum .1659.
6. Strauch, Augustus : De imperatore .1659.
7. Strauch, Augustus : De Waldensibus .1659.
8. Strauch, Augustus : Ad celeberrimam et famosam legem un. C. De sent. que pro eo, quod interest profer .1659.
9. Wendeler, Michael : Ad eam brevis principis ... placito eruditorum submittit examini .1659.
10. Wendeler, Michael : De Collegio Canonicorum et Canonicis .1659.
11. Wendeler, Michael : De potestate ferendi leges civiles, lege civili, ejusdemq. divisione in Communi .1659.

12. Ziegler, Karpus : De debitis ex feudo voluendis  
1659.
13. Ziegler, Karpus : De juribus majestatis exercen-  
tibus II, definitionem eorumdem et Divisionem,  
nec non ipsam Principis potestatem accuratius  
perpendens... 1659.
14. Ziegler, Karpus : De Jure suffragii 1659.
15. Baumann, Heimerich : De illustrissimis Electoribus  
imperii Romani. Germanici Collegio 1660.
16. Fuellus, Christian : De monarchia regia et  
tyrannica. 1660.
17. Fuellus, Christian : De re publica simplicis  
et mixta in genere 1660.
- 4a Hofmann  
18. Horn, Joh. Friedrich : De jure legationum  
1660.
19. Klengel, Christian : De jure Nummi 1660.
20. Klengel, Christian : Decem Thesium Proverbia  
Miscellaneorum - 1660

21. Kengel, Christian : De juribus aetatum .  
1660 .
22. Leiser, Wilhelm : De juramentis . 1660 .
23. Neander, Frisius Christophor : De majestate .  
1660 .
24. Neander, Frisius Christophor : De Legales .  
1660 .
25. Nerger, Joachim : De jure tertio 1660 .
26. Perpardus, Johannes : De arcanis rerum  
publicarum in genere . 1660 .
- 129<sup>a</sup> Strauch, Sigidius : De Computo Gregoriano  
ren Stylo Novo . 1660 .
28. Strauch, Sigidius : De Computo Saero . LXX.  
Hebdomadam Danielis 1660 .
- 129<sup>a</sup> Strauch, Sigidius : De antiquis funerum  
ritu . 1660
- 15<sup>b</sup> Strauch, Annales Bethlehemiensis 1660 .
30. Sigler, Kasper : Exercitulis IV. De juribus  
majestatis, ayus de Jure Interpretandi,  
leges, Dispensandi, Aggratiandi . . 1660 .

31. Ziegler, Karpar: De jure sequestrationum  
1660.

32. Ziegler, Karpar: De jure majoritatis  
exercitatis V... [De jure circa onera et  
religionem] J. 1660.

570.

3

1  
1772  
1658  
1

Q. D. B. V.  
EX POLITICIS

# Dominium Su-

pereminens,

*disquisitioni publicæ sistunt  
ad diem 11. Octobris.*

PRÆSES,


M. JOHANNES FRIDERICUS Horn/  
BRIGA-SIL.

&

RESPONDENS,

JOHANNES GEORGIUS CALOVIUS,  
MORUNGA-BORUSSUS.

*In Auditorio minori horis consuetis.*




VVITTEBERGÆ

Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGÆ.  
LII, ANNO M. DC. LVIII.



DOMINICUS  
EX POLITICIS  
M. JOHANNES FRIDERICUS  
RICHTER  
JOHANNES GEORGIVS CALOVIVS  
MAGISTRVS A. B. S. S. S. S.





## FELICITER!

### I.



Vid in subditos Majestati liceat, definire, arduum atque ambiguum negotium est; & periculosum redditur insuper, si quorundam intempestiva judicia auscultare hic velis. Reperti fuere superioribus seculis, & forsan adhuc hodieque non desunt, qui involare imperantium jura, & summo ac sacratissimo fastigio sacrilegas admovere manus, & detrahere nefario ausu, quæ ipsi propria erant atque domestica, non sunt veriti. Et hic morbus vulgares maximè animas affligit, quæ nihil antiquius habent, quàm malis artibus sui ordinis favorem mercari. Quare ut apud imperitum vulgus in aliquo precio ponantur, grande illud ignorantia arcanum, & horribile confusio- nis mysterium pleno ore divulgant; multitudinis in repub. pri- mas esse partes, hanc unam omne momentum in dando adi- mendoque regno facere; Reges procuratores esse alieni impe- ri, qui excidant administratione rerum, quoties contra plebis commodum fecisse comperti sint. Constitui regem à populo, non hunc ab illo: ex quo colligatur, superioris, h. e. plebis per Dei gratiam, placitis subjacere inferiorem principem, & pœnas dare, si iisdem contravenerit.

II. Quem, infantilem dicam, an impium? errorem, u- trum inscitia civilis Philosophia & partium studio, an turbu- lentæ malitiæ adscribam, est quod ambigam. illud interim o- mni asseveratione confirmare nequaquam verebor, in pestem egregii publici, in dissolutionem florentissimarum rerump. in- ventam esse sacram hanc sententiam, quæ citra turbas ac san-

guinem nunquam constitit. Facile quidem concesserim, interdum ab auctoribus sola imperitia peccari. dum sibi persuadent, iusta esse haec talia, quae meditantur, & alios quoque ut credant perniciosam auctoritate inducunt: quod cum accedit affectus, qui in populares suos inclinat animum, in consummatam pervicaciam ea opinio vertit. Non negaverim etiam ad inculcandam principibus clementiam atque benignitatem, haec argumenti loco poni. Ab illis scilicet Suasoribus, quibus litterarum sterilitas nihil fecit reliqui, unde rationes depromant firmandae sententiae; quique persuasum habent, principem non posse bonum esse, nisi prius regali potestate miserè exuatur. Plures perduellis urget animus, qui eiusmodi assertionibus muniunt sibi viam, quod speciosius parricidalis ferro ad caedes principum grassari queant.

III. At verò quibus secretiora majestatis adyta propius inspicere datum est, reverentius de regnatricibus potestatibus sentiunt: quod possunt manu prendere, quam latè se imperantis extendat potentia, & obsequium parentis populi. Luculentissimè id videre est, ubi per partes consideratur summa potestas, & singula excutiuntur jura, quae ei assident. Quod tamen amplissimae prolixitatis opus est, & angustias hujus paginae non intrat. Neque illud jam agimus, ut universas illas facultates recensione colligamus. Potius inducimus animum nunc paucis in dominium Supereminens inquirere, & illud tanquam compendium majestatis & exemplar nobis praeter oculos sistere. Hujus enim indolem atque ingenium dum contemplamur, tam illustria documenta capimus inde, ut reliquam imperandi facultatem haud difficili conjectura uberrimè assequamur.

IV. Per dominium autem supereminens intelligimus excellentissimam partem & regiae & cujuslibet supremae potestatis, cujus vis in subditos & subditorum bona se extendit, ut eadem in vitis etiam & reclamantibus privatis possessoribus, reperere, publico inferre, & vel utilitati vel necessitati communi donare possit. Non unius tantum imperio regali proprium hoc munus est, per omnem diffunditur Rempublicam, & ubi reperitur Majestas, simul dominium hoc deprehenditur: sive unius,  
sive

sive plurium, sive tandem omnium arbitrio rerum summa constet. Quare politissimo etiam Grotio dominium eminens generali pronuntiatione dicitur, *quod civitas habet in cives & res civium ad usum publicum*. civitas nimirum, cui jam Majestas Reipublicæ characterem impresit. Nolumus interim per omnes vagari species & singulis eam potestatem particulatim asserere: contenti in præsentiarum observasse eandem in principe; quod hic pronior ejus cognitio pateat, & ad reliquas formas haud difficilis se offerat applicatio: annotaturi tamen, si regiminis diversitas hac in parte discrimen aliquod insigne intulerit.

V. Sed primum omnium se offerunt obstacula contrariorum opinionum, incommodatura veriori Philosophiæ, nisi removeantur. Turbant enim ubique, non ex plebe tantum homines, sed legum periti etiam, superioris temporis potissimum, qui juris Romani, aut alterius Reip. positivi continentia universi ambitum definire satagentes, inepto compendio summarum potestatum jus privatorum rebus incluserunt. Inde sic arguentes audias; recepti ubique juris esse, & ab ipsâ naturâ dictatum, *id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non posse L. XI D. d. R. J.* Modestiores videntur, non sunt, qui Principi competere jus in omnium bona asserunt, eam interim adjiciunt interpretationem, quæ majestati potius ministerium procurationis imponit, quam civilem aliquam facultatem concedit. Vendicant enim privatorum res principi, ratione protectionis, jurisdictionis & administrationis. Sed eò ipso magistratum tantum gerere, non majestatem obtinere, palam fatentur. Quare ubi ad quæstionem directè respondere debent, in negantem partem manifestè inclinant.

VI. Quod universalem illam dicendi juris & administrandi omnia potestatem attinet, certum est, eam competere regi, etiam tum quando non asseveratur, omnia ejus esse: nec verò illa dignitas procuratorio titulo dehonestanda est, quasi locaverit operam suam populo, aut hujus mandato precario prospiciat imperio. Majus hic aliquid atque augustius intenditur, quod competere Principi luculentissimæ convincent rationes. Isti verò, qui nostra citra factum nostrum nobis auferri

posse negant, quia privatorum cū privatis jus publico statui applicant, vehementer errant, & in decisione tali tanquam transilientes doctrinæ & methodi regulas, audiendi omnino haud sunt.

VII. Non vacat, neque attinet magnoperè, omnes privati juris regulas huc relatas examinare: accingimus nos contemplationi Domini Eminentis, quod planè conveniens majestati & necessarium esse, & parentium quoque naturæ haud repugnans deprehendimus. Postulat id societas à parte subditi inita, quæ privata singulorum bona publicæ sociorum postponit salutis; cui fini imprimis constituitur. Enim verò si unum augmentum ex communione civitatis redundans sibi applicare velit socius, ad damnum se nullum civitatis causa ferendum obliget, societati ineptus est, nec quid eadem sit attendit satis. Eo præsertim animo contrahuntur civiles hæ amicitia & congregationes, ut publica causa floreat: cui si immineat decrementum, non dubitabit id bonus civis privato quamvis incommodo declinare. Satiùs ratus, unius privatam rem pessum ire, modò ab interitu retrahatur publica. Erigi potest in meliorem spem civium manu ac ope, & in pristinas fortunas excrecere, qui suas facultates communi usui & salutis permisit: at contra naturæ ordinem fuerit, cadente præcipiti lapsu rerum summa, unum incolumem agere posse. Verissimè Valerius Maximus L. V. c. VI. *Eversa domo, intentatus reipub. status manere potest: urbis ruina, penates omnium trahat secum necesse est.* Facit huc maximè, quod alicujus conjunctionis particeps communi cætui jus in se suaque bona, quantum ex his societati opus est, tacitè largiri intelligatur; quod quia subditorum rationem semper comitatur, haud difficile erit cognoscere, summam potestatem arbitram & moderatricem esse privatorum omnium bonorum, adeò ut pendeant ab ejus voluntate, qui salutis populi prospicit.

VIII. Sic igitur illa facultas majestati adhæret & inest; veræ omnium in Rep. dominæ. Non opus habemus excurrere hic, & illas assertiones, quibus Romani juris periti Imperatori totius mundi dominium vindicant, inferere, quas principis potius, quam veri studium obsequentissimis viris extorsisse, tot  
im-

imperantia scepra, quæ præter DEUM superiorem agnoscunt neminem, satis persuadent. Non adducemus illa jura, quæ Magn<sup>o</sup> aliquis Chamus, sive Mogol, in Tartarorum bona exeret, quod ea potestas dominico imperio propria ac singularis, aliquomodo simile judiciû, apud adversarios præcipuè, de cæteris rebus, haud videatur admittere, cujus diversitas infra tangenda. Est in univèrsum ea majestatis indoles, ut super omnia emineat, suâq; manu, quicquid in civitate est, comprehendat; ridiculum igitur foret, negare velle, illi competere jus in bona, cui in capita competit. nihil prohibet, quo minus summa sit possidendo, quæ imperando summa est. *Regia potestas, inquit Grotius, sub se habet & patriam & dominicam potestatem: sic in res singulorum majus est dominium regis ad bonum commune, quàm dominorum singularium.* L. I. d. J. B. & P. c. I. §. VI. Absurdus haud putandus est, qui statuatur, primarium jus & dominium residere penes regem; usum & possessionem transcribi in subditos. quare iniquum minimè arbitror, cedere bonis privatum possessorem, quoties publico domino, & toti societati subditorum commodum fuerit. Ut ita sentiam, unanimi multarum gentium consensu, & hominum eruditissimorum, quique Christianitatem professi sunt, iudicio atque testimonio inducor.

IX. Scotorum legem tradidit Hector Boëtius Lib. XII. Hist. Scoticæ, qua severissimè cautum: *Nemo fundum, agrum prædium alia, quàm regis auctoritate possideto.* Certè Populus Rom. eam sententiam, quasi indubiam & in commune notam, confirmat aditione hereditatis, quam ab Attalo creverat. Scripserat Asiæ Rex hæredem omniû bonorum Romanos: hi liberali interpretatione bonorum nomine regnum complexi sunt. quod non admisissent gravissimi & studiosissimi æquitatis homines, nisi credidissent, bonis ac patrimonio regum ut plurimum subditos univèrsos includi. In jure civili Romano compluria occurrunt loca, quibus affirmatur *Imperatorem omnium esse dominum, ejus omnia esse.* Quæ satis valida sunt in hoc negotio consensui adprobando. Non temerè scriptum puto à M. Tullio, quod III. offic legitur. *Neq; enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximèq; rei publ. Singulorum enim facultates & copia, divi-*

*tie*

ria sunt civitatis. Affirmare haud dubitem, in animo habuisse consultissimum virum supereminens illud jus, quod Reip. competit, dum in liberâ civitate degens, in acquirendis facultatibus civium Remp. potiozem habet liberis, ad quos alias naturaliter opes devolvi solent.

X. Sed omnium apertissimè Philo. *Ἐπι Φυπεργίας. Καὶ μὴν ἀργυρός τε καὶ χρυσός καὶ ὅσα ἄλλα κειμήλια ὡς τῶν ἀρχομένων θησαυροφυλακείται τῶν ἡγεμένων μᾶλλον, ἢ τῶν ἐχόντων θῆν.* Certè *argentum, aurum, & quæ pretiosa alia apud subditos custodiuntur, eorum qui regnant magis sunt, quàm possidentium.* Quibus gemina tradit Guntherus Lib. III. digna, majestatem dicentem introducens principem:

*Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,  
Jure quidem nostrum est, populo concedimus usum.*

Augustini relati in *c. quo jure, dist. 8.* eadem sententia, postquam enim demonstraverat Ecclesiæ villas non divino, sed humano, h. e. Imperatorio jure possideri, addit: *Tolle jura Imperatorum, & quis audeat dicere mea est illa villa: aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est?* Et in fine. *Nolite dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa jura humanam renunciaisti, quibus possidentur possessiones.*

XI. Non destituimur exemplis, quæ communem consensum amplius roborant, & id ipsum de quo quærimus, fieri posse ac debere, sufficienter docent. Quoties hostis imminet urbi munimentis haud satis validæ, æquitatem fecit necessitatis consuetudo, extruendo pro pugnaculo, latius ducendis fossis, subvertendo ædificia propinqua incommodatura spatio, & proximiores hortos in valli usum transportare. Quanquam etiam ab hoste nullus metus, ædificia tamen, si mœnibus & publicis operibus sociata cohæreant, ut ex his incendium, vel insidias vicinitas reformidet, dirui ac prosterni, Imp. Arcadius & Honorius præceperunt. quod in commune jus transire æquum rati Jurisconsulti Romani, Imperatorio Codici inseruerunt, confirmante Justiniano *L. XIV. C. de operib. publ.* Sic toties diru-

ta at-

ta atque cremata suburbia cognovimus, ne hosti receptaculo essent, quoties obsidionis periculum opidanis incus sit metum.

XII. Quod si sacras litteras in partes vocare fas est, & imperii jus inde repetere, fallimur, aut signatis verbis reperiemus omnia, quæ dominium eminens constituere ac comitari solent. Postulaverant sibi regem Israëlitæ pertæsi divinæ monarchiæ, quæ Deus in populo suo per iudices ducesq; huc usq; usurpaverat. Ut scirent igitur, quàm gravi jugo cervices supponerent, jubet DEUS Samuelem ipsis declarare, prætermisissis reliquis actibus, quos ex vicinis regnis observare poterant, quasi in compendio majestatem: exposito per suas partes dominio, quod regi in cives & civium bona datur, Israëlitis forsitan eousque incognito. Ubi post sublatos in servitia liberos, id jus fore imperaturi regis proclamat. *Agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.*

XIII. Certum est, interpretes hujus loci per omnia inter se non convenire, aliis aliter explicantibus. Sunt, qui ne utiquam ad jus referendum putent, quicquid ibi de rege prædicatur populo: & potius ad injuriam interpretantur, & declinationem regni in tyrannidem. Longè abesse à bono principe raptorem animum, & aliena invadendi libidinem: Suum cuique tribuere, & publicam salutem ante privatam ponere, id regii muneris atque ingenii opus esse; in id à DEO quoque constitutos reges. Non igitur præscribi normam recturo, secundum quam imperari debeat, aut liceat: sed prædici imperaturi vitia, & iniquam potentiam, quam sibi arrogaturus sit in subditos ex mala libidine omnia turbans.

XIV. Contra ea plures reperiuntur, qui ablationem illam injuriosam esse negent; simul statuunt subdito in talibus repugnare haud licere, & genuinum jus ac legitimam potestatem subesse, agnoscant. Quæ sententia verissîma est, & applausum oppidò meretur. Tàm cautè firmatur enim eadem, ut Tyrannum facilè removeat ab hoc jure. Si quidem eam potestatem mancipandi privatorum fortunas, tùm demum principi exercendam adscribunt, ubi usus postulat communis & publica necessitas. Tunc exercetur justè atque prudenter, ad instar medici, qui

B

unum

unum membrum fauciare haud ambigit, ut reliquis sua constet temperies atque sanitas. Et necessitatis insuper tanta vis est, ut prudentiæ quoque laudem mereatur, qui ex malis minus perniciosū eligit; & efficacia, ut tribuere possit, quod ipsū jus nō tribuere videbatur. Hinc Senecæ effatum *Lib. IV. cont. IV. Necessitas est, quæ navigia jactu exonerat: necessitas est, quæ ruinis incendia opprimit: necessitas est, lex temporis, & quicquid coëgit, defendit Cont. XXVII.*

*XV.* Sanè privatis quoque in aliena confert arbitrium hoc urgentissimum telum, ut possint sibi vindicare ex alterius patrimonio, quantum usus præsens postulat. Eam enim mentem fuisse eorum, qui dominia rerum divisa introduxerunt, statuit Grotius *Lib. II. de I. B & P. c. II. § VI.* verba quæ digna sunt ut & hic legendo repetantur, adscribam: *Hinc primò sequitur, in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis ac proinde & in lege domini, summa illa necessitas videtur excepta. Hinc illud ut in navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisque habet in commune conferri debeat. Sic & defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipare possum: Et funes aut retia discindere, in qua navis mea impulsæ est, si aliter explicari nequit. Quæ omnia lege civili non introducta, sed exposita sunt. Nam & inter Theologos recepta sententia est in tali necessitate, si quis quod ad vitam suam necessarium est sumat aliunde, eum furtum non committere: cuius definitionis non hæc causa est, quam nonnulli adferunt, quod rei dominus ex caritatis regula rem egenti dare tenetur, sed quod res omnes in dominos distinctæ, cum benignâ quadam receptione primitivi juris videantur. Nam si primi divisores interrogati fuissent quid de eâ re sentirent, respondissent quod dicimus.*

*XVI.* Id quia procedit in privati hominis jure, quidni multò magis in summæ potestatis? quod maximi auctores unanimi asseveratione concedunt: eâ restrictione, ut extra hunc casum, majestati in opes subditorū nihil planè concessum putent. Hoc si de populari, aut mixta cum populari rep. assererent, concederè ex facili, quod apertissimū sit, præter necessitatis urgentissimæ causam, manus injectionem, civium bonis factam, rapinam esse.

defi-

deficiente potissimum subjectione tali, quæ extra Politiam est. quanquam enim majestatem non participant singuli, membra tamen sunt, quæ totam multitudinem componunt, integræ majestatis capacem; & ideò necessariò æquali jure frui debent, ob conditionis similitudinem, quæ læderetur non necessariâ rerum subtractione, potissimum non refuso pretio. Amplius quid inveniendum in principe, quod majestatem splendidissimam sapiat, & jus privato concessum multis modis superet. Quare dicendum Regi non tantum in casu necessitatis datum esse dominium supereminens, sed semper & ubiq;. Efflagitante hoc natura majestatis, quæ suas partes omni tempore simul habet, cum ejus ratio in indivisibili consistat. Agnoscunt hoc pluri ex Ictis, qui hæc Politica in partibus attigere, dum affirmant, posse principem jus alteri quæsitum auferre sine justa causa, h. e. necessitatis, si uti velit plenitudine potestatis. Andreas de Iserniâ & Afflictus apud Gailium Lib. II. obs. LVI. n. 2.

XVII Præceptis fortassis & intuitum, quin tyrannidi proximum videbitur primâ specie hoc effatum, & quod longissimè absit à paternâ regis in suos voluntate. Quippe ejusmodi voces non nisi ab hostibus communis boni exauditæ, quorum in perdendis magis, quàm regendis subditis, libido apparuit. Ita Caligulanus, ad procuratores perscripsisse, *triumphum apparent quàm minimâ summâ, sed quantus nunquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona jus habeat*, Suetonius in ejus vita memoriæ prodidit. c. XLVII. Ast intro specta penitiõ assertio, nihil illegitimum continebit. Nam quod exitiales illos homines, si adhuc nomine digni sunt, concernit, qui pessimo publico præfuerunt Romanæ rei summæ, perquam notum est, divina humanaque jura æstimasse juxta, parum memores quomodo suo facerent officio satis, cui à DEO propositi. Interim non omne tyrannicum est, quod in tyranno reperitur: nec propterea execrandi sunt, quod affirmarint sua esse omnia. Afferere illud non dubitarunt optimi Imperatorum, quare Antoninus quoque non veretur in rescriptione ad Eudæmonem Nicomediensem se *mundi dominum* appellare L. IX D. de L. Rhodia. Propter cædes maxime infamantur apud scriptores, quas in clarissimis viris ac in-

nocentibus perpetrarunt ; aut imprudentem juris usurpationem, quod attentâ nulla ratione possessores pristinos ejecerint, insanâ habendi cupiditate.

XVIII. Solent Politici accuratè inter jus & exercitium juris discrimen ponere ; id quod & hoc loco merito fieri debet. Dominium supereminens, sive jus in bona civium omni majestati, & hujus subjecto bono, malo æquè competit semper : at exercitium continuum cautio quædam disuadet. Nam quod in re-pub. populari, aut ex hac temperatâ diximus suprâ, & solam necessitatem posuimus causam exercendi juris, id hic repetimus, & prudentiam moderatricem præponimus huic negotio. Potest rex quidem, etiam extra necessitatis casum subditorum bona sibi vindicare ac repetere : at quo minus hoc faciat, plurima obstant. Nam primò usurpationis hujus juris extraordinaria quod sit, facilè patet ex iis circumstantiis, quibus non injustè adhibitum hoc remedium noximus : quæ ejusmodi fuerunt omnes, ut aliter se habere non possent, nisi resp. simul caperet detrimentum. Hæ tales cum perpetuæ non sint, quid profuerit uni subditorum concessum usum auferre, nullo in publicum redundante commodo, nullo imminente malo.

XIX. Contra si fiat, non tam occupatio bonorum culpatur, quàm rapacitas & avaritia præsumitur, quæ à prudente quàm longissimè abest. Aut enim sibi vindicabit ab alio possessa bona, aut alii subdito dabit. Si alii, iniquum erit alterius damno locupletari ; & imprudens, ut unus subditorum plus valeat alterum opprimere, cujus æqua & par cura debebat fuisse. Si in privatos & proprios usus convertit ereptum, regnandi leges & peritiam transilit, quæ modum imprimis eum præscribunt possidendi, ut ex divitiis subditorum rex æstimetur, nunquam ex privatis thesauris unius multitudo habeatur locuples. Optimus quisque regum originis memor, populi potius, quam suum tantum commodum procurat, eò lucro quod & propria divitiæ inde constant. DE I vices se gerere arbitrantur, cujus quum omnia sint, omnium tamen usum larga manu dispensat hominibus. Idem faciunt delegati, omnium fortunas suo complexi jure, nemini citra causas quicquam adimunt. Id avaritiæ  
cri-

crimen foret, cujus sordibus attaminari indecorum planè & infra majestatis splendorem esse, quin sævitia & tyrannidis subesse ignem, ex hoc fumo arguere non obtusum omnino pectus, facile prævident, & quia famæ studiosissimi sunt, sedulo cavent. Et sic absque causa non exercent semper competens dominium.

XX. Consensum subditorum non requirimus, quod facit Arnifæus *L. III. de Majestate c. 1. n. 10. Sed principi, inquit, jus illud neque in totam remp. neque in partem competit, sine consensu eorum quorum interest. In hoc enim ipsi cum tutore, & rerum spiritualium administratore convenit, qui nec ipsi pupillorum vel Ecclesie bona distrahere possunt, & res regie dignitatis, non tam regis sunt quàm regni, nec continentur in marsupio principis. Nam ut id non concedamus, natura facit jurium majestatis, quæ citra consensum subditorum vim suam exserunt. Condit jura princeps, indicit bellum citra voluntatem parentium. Cur igitur hic peculiaris detur ratio, non video. Quid si, quorum interest, consentire nolint? nemo enim patitur facillè, quoties suæ spontis est, res sibi auferri. Cessabit dominium majestatis, & publica periclitabitur salus. Argumenta à tutore & administratore aliàs ipse Arnifæus refutat. Regni aliquid esse, non regis, in commune dicunt, qui reges volunt sublato.*

XXI. Inter legitimas causas exercendi dominium eminens numeramus haud immerito utilitatem publicam. quæ tum maximè obtinet, quando, nullo impendente incommodo declinando, sola augmenti publici spe, subditus possessione dejicitur. Tale quid accidisse Romæ atate Regia advertimus, nec iniquum creditum. Victi singulari certamine Albani, conventionis vi in subditos Rom. regis transferant, & pulso Veiente ac Fidenate hostibus, ut augetur urbs, transferuntur Romam, spoliati prius Albâ, quam incoluerant. Diruebatur civitas Tulli milite jussu & in id misso: compellebantur incolæ omnes exire, nec tempus ducere: quin supellectili omni relicta extrahuntur. Certum est hoc ex potestate

quadam iusta profectum, quæ belli non fuit: quia Albani subditi erant, in quorum bona nemo iniecit manum, nisi dominio supereminente instructus, quod hic locum invenit.

XXI. Causas vestiganti, occurret primo intuitu perfidiæ metus, quam in eo bello seu prælio expertus suo periculo Tullus Hostilius erat, & in Metio horrendo supplicio castigaverat. Iccirco necessarium videri poterat, ut Albani tutius regnarentur, nec aliqua clades ex defectione illorum foret metuenda Romæ, delere formidandam sedem, & intercipere suspectas ædes. Vero tamen mihi videtur similius prætextum hunc fuisse, distinguendum omnino ab vera causa, quæ incrementum Romanæ urbis haud dubiè fuit. Etenim priores reges prospiciebant undiquaque accessionibus novæ civitatis, & quia Asyli commentum non sufficiebat implendæ, hostes addebantur. Nactus igitur occasionem Hostilius neutiquam sedet, iniecit manum, & commodum universitatis accretione nova promovet; specioso potissimùm haud destitutus incitamento.

XXIII. Ne tamen quicquam dissimulemus, redhostimentum deprehendimus factum, concessis domibus quibus Romæ habitarent, aut donatis materia ac instrumentis ædificiis struendis, honore pensatum ampliùs damnum: Principes Albanorum in Patres lecti, decem turmæ dignitate equestri decorati. Et sic dominium eminens exercere poterat Tullus ob utilitatem publicam, remunerans atque reficiens æqualiter damnum; & Albani oblivisci jacturæ, quam honor amplior facilè sarciebat. Idque necessarium putamus, ut quoties detrahitur singulis aliquid, pensandum id veniat, si Reip. vires concedant, aut mitigandum tamen quoquo modo unus decrementum.

XXIV. Sed singulatim videamus de pretii restitutione, quam circumstantiæ negotiorum plurimùm variant. Nam & regiminis diversitas, & rerum quoque ablatarum conditio, dissimile suppeditant iudicium exiguntque. In dominicâ Reip. formâ, certum est, posse imperantem extra quoque  
uti-

utilitatem communem, subditis quantum libuerit, detrahere  
nec cogi tamen ad pensationem. Quid enim non liceat in eo-  
rum bona, qui impetiti bello, quo effugiant cladem, hunc in  
modum se dedunt: *Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes  
montes & colles & campi & armenta bouum gregesque ovium & ca-  
prarum, equorumque & camelorum, & universae facultates nostrae  
& familiae in conspectu tuo sint, sint omnia nostra sub lege tua. Nos  
etiam & filii nostri servi tui erimus.* Judith. III. Precariam tales  
possident familiam, tradendam victori, quoties repetere vo-  
let. Renunciarunt juri, quod ante deditionem habebant, &  
manciparunt se, suaque tradiderunt alieno arbitrio. Quod si  
jam alienet, aut ad se trahat, quis postulabit pretium? suas  
res dominus repetiit, qui à se nihil emere potest. Dari ejus-  
modi res publicas, memoria omnis temporis probat: non ini-  
quas esse, convincit auctor, qui apud Ægyptios eam formam  
primus invexit Josephus.

XXV. In Rebus quæ parentium utilitatem sibi ha-  
bent unice propositam, æquum omnino videtur ac necessa-  
rium ferè, damnum refarcire, quod unus aliquis perpeffus est.  
Sicut enim singuli, qui in civilem cœtum coierunt, tenentur  
publicæ utilitati servire bonis tradendis in usum communem:  
ita æquitati proximum erit, universos cives, tanquam socios  
commune censere damnum, quod societatis causa uni contia-  
git. *Æquisimum enim semper est, commune detrimentum fieri eo-  
rum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut fortunas su-  
as salvas habeant.* Et sic antiquissima Lege Rhodiã cautum ac-  
cepimus, *ut si levande navis gratiã jactus mercium factus fuerit,  
omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est.* L. i.  
C. n. D. de L. Rhodia. De civibus loquor, & civitatibus, quæ à  
pluribus reguntur, ubi publicæ utilitati ac necessitati priva-  
ta semper connexa est. Nam principem ad justum pretii solutio-  
nem teneri subdito, nego ex capite eminentis domini &  
plenitudine potestatis. Quare nec ex patrimonio, nec ordi-  
nariis redditibus pretium rependere obstrictus est. Potest ta-  
men cogere reliquos subditos, ut in commune contribuant  
reficiendo unius detrimento. Hoc ut faciat æquitas aliqua  
sua

suadere potest: ut teneatur, nullum jus urgere. Sufficit illi habere potestatem prospiciendi Reip. privatis opibus; civitas, in cujus deprecandam necessitatem collata, pretium refundet.

XXVI. Quoad rerum distinctionem, video placere nonnullis discrimen inter acquirendi modos, qui naturales ac civiles vulgò sunt. Si naturali modo acquisita res sit, tolli posse negant citra pretium; sin civili Jure introductum dominium, licentiam concedunt Majestati auferendi illud sine causa & compensatione. Nemini tamen ex accuratioribus approbatam video hanc opinionem: quod omnes observent, possessionem, quocunque etiam modo res acquisita sit, semper esse de Jure gentium. Et Hugo Grotius perversum appellat discrimen. *Quod dominium ex qualicunque causa ortum sit, suos semper effectus habet ex jure naturali, ut scilicet auferri nequeat, nisi ex causis, quæ aut dominio insunt suapte natura, aut ex dominorum facto ortum habent. Lib. III. d. I. B. & P. c. XX. §. IX.*

XXVII. Melius cognosci posse ex usu putamus, quarum rerum pretia refundenda sint. Aliæ siquidem auferuntur in salutem civitatis percipiendam, aliæ ne hosti profint & noceant suis. Veluti si pecunia numerata sumitur scribendo militi, si ædificia diruuntur, ut firmentur mœnia; quando horti, suburbana occupantur producendis fossis aut ampliandis operibus. Hæc palam in societatis commodum transeunt & protectionem omnium, & consulitur adeò utilitati civium. Ergo & justum est concives, quorum facultatibus hunc in modum provisum est, ex lege societatis reficere, quicquid impensum est. Quum præter naturam congregationis civilis sit, alterius pernicie velle tutum esse. Hinc retributio secundum omnium facultates pari æqualiq; portione instituenda, pro ratione opum: ita quidem, ut ille qui damnum passus est, pro se in publicum aliquid contribuat.

XXVIII. Aliter comparatum est cum illis bonis, quæ civitatis usui non cedunt, sed præripiuntur hosti, nocitura possessoribus, si salva in hostilem potestatem veniant; aut profutura tamen adversario, & confirmatura eundem contra

tra

tra debellatos. Qualia suburbia, quibus insidens hostis protegitur, & machinas verberationi murorum inultè ponit, tendentia sic in ruinam civitatis. Ejusmodi seges immatura, quæ uri plerumque solet. quia oppidanis nondum potest cedere in alimentum, & obsidenti cum tempore commoda futura est, cum clade ferentium.

XXIX. Hæc prudenter & necessariò corrumpuntur, ne hostis capiat augmentum & vires contumaciùs insistendi obsessis. Pretium verò non opus est ut rependatur, quia non jுவatur in melius sociorum cœtus, neque infertur inde hosti clades; saltem subtrahitur certissima præda. Eripiuntur hæc non civi, sed hosti, in cujus potestatem jamjam ventura sunt. Perirent hæc demum, si satis fuissent adhibita in perniciem veterum possessorum, quocunque modo perdenda. Quare assentior iis, quæ Ferdinandus Vasquius affirmat L. III. c. III. *agnoscere civitatem non debere id damnum, quod jam bello datum est, eò quod jus belli talia permittat. Nec audio contradicentem; id jus hostem diripientem spectare, non civem patientem aut communionem retribuentem.* Placet in his versatissimo viro, nedum prædicto modo corruptam & præreptam prædam, sed & damnum quodcunque ab hoste datum, restituendum esse à civitate, propterea, quod cives inter se focii sint; quare æquum sit, communia habere damna, quæ Societatis causa contingunt.

XXX. Concederem id, si omnium civium facultates per omnia essent æquales, & insuper pacto civilique lege conventum foret, paria futura lucra, paria damna. Nunc quia societates eò modo expressè vix ineuntur, nec jã initæ ejusmodi conditionibus firmantur, præsumi id haud debet, quamvis posset fieri; & quum incolarum opes inæquales sint, vix poterit æqua retributio sperari. Ponamus enim præcipuos cives & opulentissimos in suburbiis aut vicis proximè urbi adjacentibus non tantùm magnificas ædes positas habere, sed in iis omnem supellectilem pretiosam & divitias numeratæ pecuniæ. Jam repentinus hostis necopinum facit impetum, deprædatur agros, incendit ædes sumptuosas, diripit pecuniæ ingentem vim: num etiam hac ratione tenebitur civitas, h. e.

C

in-

incolæ, quorum tenues & accisæ planè res sunt, sarcire damnum? ego verò dubito. Et ut magis dubitem, paupertas sociorum facit, quæ nullo modo sufficit reficiendo detrimento; & si vel maximè sufficeret, exhaurirentur tamen propter restitutionem illam omnium substantiæ, ut indigi universi nihil possiderent. Ipsa certè inæqualitas non permittit restitutionem. Nam cum lucri capiendi ratio ubique diversissima sit, damna non possunt esse æqualia. Quod si opulenti & pecuniosi societatis beneficio ad splendidas opes pervenerunt, non ægrè ferent, majus, quàm reliqui inferiores, damnum societatis nomine illatum sentire.

XXXI. Contraria opinio destituitur exemplis ad consequentias trahendis, dum interim pro nobis quotidiana consuetudo acriter pugnat. Vix ullius civitatis rationales & expensorum publicorum libri exhibebunt sumtus in restitutionem illatorum ab hoste damnorum factos. Unde docere poterunt igitur illius auctores citra prævia pacta ab hoste illatas clades fuisse exæquatas singulis & omnibus. Nam uni atq; alteri in solatium amissorum quandoq; ex liberalitate publica datum aliquid haud diffitear. At verò vidimus & audimus hodiè, non solvi pretium pro rebus, quæ eripiuntur hosti, aut damnis ab hoc illatis. Si statuerent, sublevandas esse dejectas fortunas mitigandis oneribus, remittendis tributis, dicerent aliquid cui facillè subscriberemus: inde tamen plenaria restitutio haud conficitur.

XXXII. Sed de rebus subditorum hætenus, quoad subjacent arbitrio supremi dominii. De persona videtur & est intricatior disquisitio. Illud hic in controversiam venit, an possit subditus innocens deserere ita, ut in manus hostium perveniat; an tradi etiam à majestate possit? Quoad desertionem. Vasquius in eâ sententia est, non deberi deserere, si aliter societatis Jura inviolata debent manere, L. I. c. XIII. Sotus affirmat deserere posse citra culpam, si civitatis res eò deductæ sint, ut propulsandæ injuriæ violentæ par esse nequeat, & imbecilli reluctatione universæ publicæ rei interitum attractura videatur.

tur. Quæ opinio & prudentiæ laudem meretur, & iniquitatis atque perfidiæ infamiâ notari temerè non potest.

XXXIII. Sed expedita hæc atq; in propatulo sunt. De traditione major difficultas oritur. Vasquius etiam hic restat, & suæ negationi obtendit societatis jus, quod minimè obliget socium, quò seipse tradat, multò minùs potestatem concedat alii invitum tradendi. Præponderat his Dominicus à Soto L. V. de Justu Jure. q. 1. art. 7. asserens, teneri civem se hostibus tradere. Quâ tamen lege teneatur, nondum expeditum est. Sunt qui putent, ex societatis Jure propriè sic dicto, civem ad hoc non teneri; & sic Vasquium cum ratione sua procedere: interim charitatem postulare, ut præstet, ad quod Jure non erat obligatus. Scilicet latiùs porriguntur dilectionis præscripta & humanitatis officia, quàm ipsum strictum Jus. Sæpè hoc prohibet, quod illa concedunt, non rarò mandat, aut permittit ad minimum, quod illa detestantur. Hoc in universum rigoris naturam habet: illa æquitatis temperamentum, cujus semper benigna interpretatio est.

XXXIV. Hic subsistit Sotus, alia lege civem, præter caritatis, non obstringi ratus, quod concedendum haud est. Nã ipso Jure societatis in id impelli, facilè patet ex eò, quod quicquid ad caritatis legem interpretantur Philosophi, civitatis Jure continetur. Charitatis officium dicitur, multitudinis innocentis vitam suâ deditioe redimere: ea verò caritas inter præcipua boni civis requisita ponenda est. Societatis ambiguum nomen multos decepit, qui quoties legunt in Jure civili Romano, socios ad paria obligari, damna debere esse æqualia, neminem cū alterius injuriâ locupletari; huc applicant, & totum negotium miserè involvunt. Diversissima natura est illius societatis, quam duo, tres, decem, plures incunt, ut aliquã emendis vendendisq; mercibus rem faciant, ab hac quæ civitatis caractere insignitur. Ibi non tenetur socius sua clade alterius rem salvam & incolumem præstare: hic nisi fecerit, perfidiæ communitati reus est.

XXXV. Apud Auctores rerum infinita occurrunt documenta, quæ sub amore patriæ, quid civitati debeamus, claris-

finem docent. Ad quid enim ortus nostri partem patria sibi vendicaret, Platone teste, nisi in hunc finem? Marcus Tullius sane hæc ex naturali quadam constitutione arcescit, ubi legum fundamenta tradit. L. I. de LL. *Sed cum omnia ratione animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea que cum rep. est unicuique nostrum. cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?*

XXXVI. Non dicta solum hæc talia, sed factitata quoque à plerisque, quorum iniri numerus vix potest. Plures in Rom. rep. fuerunt qui privata clade publicam deprecati sunt. Quo referendi, qui se devoverunt pro patria, quod Decii pater, filius & nepos fecere cum aliis. L. Æmylius Paullus, ingentis victoriæ compos, precatus Vellejo dicitur, *deos immortales, ut si quis eorum invideret operibus ac fortune sue, in ipsum potius favirent, quam in Remp.* Nec alienum est, quod vetus fama de Curtio tradidit. Non cum labo exempla, demonstrantia abunde boni civis officium, ad quid reip. sit obstrictus.

XXXVII. Ob gloriam hæc talia perpetrata ego non credam; qui certo sciam, ob salutem omnium. Vanitas fuerit inanis, ob rumores & laudem vulgi oppetere mortem velle. Convincebantur ab interno sensu quodam, deberi reip. vitam, sanguinem, cuius parci haud deberent esse, quoties prodesse poterant in commune. Dictabat ipsa ratio, unius incolumitatem postponi debere omnium. Quod argumentum tantæ efficacitæ fuit apud sanæ mentis homines, ut non tantum socii propterea tradere spiritum voluerint; sed ne reges quidem dubitarint occumbere, si morte vel saltim victoriam se paraturos subiecto populo sperarent. De Codro vulgatum memorat Paterculus. Ille pastorali indutus veste, ut contra Lacedæmonios suis victoriam procuraret, ex Oraculi Pythici responso maluit occidi, quam suorum cladi superesse. Quanto magis subditum hæc urgeant pro communi causâ.

XXXVIII. Ex officio igitur & debito, non caritate solum, se tradere tenetur civis. At si huic officio non faciat satis,  
cogi

cogi posse, nihil ambigendum est. Et frustra sunt, qui contra sentiunt. Nam si tenetur ex humanitatis præscripto sua spontaneâ deditioe consulere publico egregio civis, ea tamen animi hebetudine sit, ut id capere nequeat; aut perversitate, ut nolit: docendus omnino est, quid communi rei debeat. Efficaciorem verò magistram haud temerè inveniemus, præter majestatem, quæ domini eminentis dexteritate instructa, citra negotium rudem & contumacem civem informare potest, ac ipso actu & traditione admonere, quid ultrò debuisset facere. Quod enim dicitur, ad dilectionis officia neminem cogi posse, id alibi verum sit; in civilibus, ubi ex subjectionis formula judicatur, non procedit. Si tenetur ad aliquid subditus, cogi potest simul. Aliàs enim inanis esset obligatio, si nullus daretur effectus; nullum exequendi Jus, si contraveniretur. Nisi forsan subditū, quibus tenetur, legibus solutum esse affirmemus. Probant consulti hujus Juris, dilectionis officia quædam ejus ingenii esse, ut citra culpam omitti haud possint. In qua classe constanter ponunt id ipsum, de quo nobis dissertatio. Jam si aliàs castigari debet culpa, & animadverti potest etiam in invitum: hic vel maximè prospiciendum est, ne contumacia perfidi subditi, aut imperantis socordiâ resp. detrimentum capiat. Facit huc quod Magnus Grotius habet L. II. d. I. B. c. XXV. §. III. *Superior cogere potest, etiam ad alia, quæ virtus qualibet precipit, quia in jure proprio superioris, quæ superior est, hoc est comprehensum.*

XXXIX. Et posse à majestate cogi, argumento sint, tot postulata ab hostibus, & à civitatibus facta deditioes. Nam si civitati non competeret tradendi jus, insulsi omnes fuissent hostes, qui traditionem flagitarunt; & iniquæ civitates, qui suos tradiderunt. Non adeo juris ignari censendi sunt clarissimi duces, nec oblita civitates, ut contra innocentem civem injusta violentia immaniter grassarentur. Quo facit jus obfides dandi, quod planè huc pertinet, etiam invitos. nam cogi posse inde patet, quod fugientes ex fœdere fuerint remissi. Id de Clœliâ tradit Livius L. II. c. XIII. Tradunt insuper historiarum monumenta apud gentes quasdam ex socia-

li fœdere homines aliquot tributi nomine traditos, unde ad minimum potestas legitima in personas tradendas aut traditas præsumitur.

XL. Tale quid narrat Joannes Mariana de Aurelio L. VII. *de rebus Hispaniæ c. VI. Regnavit annis sex, mensibus sex, nulla neque domi, neque militiæ gloria. Servilis enim belli, quod in provincia exarsit, cum servi studio libertatis incensi, & temporum perturbatione confisi arma magno numero corripuerunt, profligati laudem fœdere, quod cum Mauris fecit, fœdasse visus est: ex quo ingenue conditionis virgines ad certum numerum quotannis tributi nomine, prob nefas, erant Mauris representande.* Numerum non exprimit Scriptor: centum fuisse traditas affirmat Auctor Gallicus apud Gramondum Historiarum Galliæ L. XV. Sed confundit credo, quod Mariana scribit de Mauregato; (vocant & Margaretum & Mauracatum) qui tyrannide regnum invasit, primus post Silonem & ejectum Alfonso ab Aurelio. Hic novarum rerum cupidus, ut regnum Alfonso occuparet, à factionis instigabatur hominibus *His auctoribus*, verba sunt Hispani c. VII. *quoniam parum præsidii in gente erat, ad Maurorum opem supplex confugit, ignominiosoque Christiano nomini fœdere intravit, quinquaginta virgines natalibus nobiles, & parem ex plebe numerum pactus tributi nomine quotannis.*

XLI. Cæterum non probamus omnia exempla, quæ forsan honestati aliquando contraria occurrunt: neque dicimus statim tradendos esse, quos in ultionem deposcit hostis: nos satis habemus, ostendisse competere Majestati jus dandi obsides, dedendi cives hostibus, tradendi homines ob societates contractas firmiter servandas. Sed agendi regula ex circumstantiis desumenda venit, & sollerter circumspiciendum est, quid expediat, quid deceat; an graviori civitatis damno atque dedecore tradantur viri, qui magistratum gerunt publico bono, an minori retineantur. Quomodo Demosthenes dissuadet deditioem Oratorum, nota fabulâ luporum exposcentium canes. Hæc omnia ad Consultatricem partem spectant, quæ per eminentiam totius nomine insignitur *Politica*; eorum igitur consideratio ab nostro instituto hacten-


hactenus aliena est. Id annectimus non infrequenter solere  
dominii supereminentis jura, secundum prædictas partes à  
magistratibus procurari, in repentinis potissimum insulti-  
bus, non ex possessione domini, sed præsumptione volunta-  
tis imperatoriae. Sicut conceditur præsidi aut alteri officiali  
contra hostem ingruentem conscribere exercitum, si Majestas  
procul agat, nec tam subito interrogari possit, quid factum  
velit, & interim in morâ periculum sit. Quod probat Grotius  
Lib. I. de J. B. & P. c. III. quanquam nec tum majestatem ha-  
bent, sed ex ejus jussu intelliguntur agere.

*XLII.* At satis dictum est de jure eminentis domini,  
quantum in subditos porrigitur: an incolarum & peregrin-  
orum eadem sit ratio, porro videndum. In incolas extendi  
illud jus arbitror. Quod subditi sunt, utilitatem ex Rep. cui se  
adjunxerunt sentiunt; & sic onera quoque non possunt detre-  
ctare. Eâ tamen conditione, ut quàm primum fieri possit re-  
tributionem accipiant, etiam præ cæteris, qui reverâ subditi  
sunt. Nam cum careant iis privilegiis, immunitatibus, hono-  
ribus, quibus veri cives fruuntur, ad tantum obligari non  
possunt, ad quod hi tales. Sed cum circa hoc hominû genus in-  
gens differentia conspiciatur, vix poterit aliquid certi in uni-  
versum pronunciari, ita ut in singulis valeat. Quare hæc in-  
spectio secundum superius tradita in qualibet rep. sic erit a-  
temperanda, ut secundum subjectionis indolem, lucra, cæte-  
rasque circumstantias, quæ negotium variare consueverunt,  
judicium desumatur. In aliquibus enim civitatibus incolæ  
propius accedunt subditis, in nonnullis à peregrinis vix di-  
scernuntur. Unde fit, ut hac in re cognitio æqualis nasci haud  
possit concludens in genere aptum subsumi.

*XLIII.* Pronior est apertiorque de peregrinis dijudi-  
catio, ad quos, quia exteri sunt, majestatis nulla vis pertingit.  
Jus exterorum enim supereminenti dominio nullo modo  
subest. In peregrino pristinus dominus omne imperandi jus  
retinet, etiam si negotiationis causa regnum alienum lustret:  
nec peregrinatio territorii domino in transeuntis personam  
omnimodam potestatem concedit, quod illa transferendi  
impe-

117  
imperii modis haud annumeretur ; & absolum sit, unum plu-  
ribus majestibus subjacere. Jam dudum demonstrarunt Po-  
litici, non posse unum aliquem duarum civitatum subditum  
esse. Quia igitur Majestas tum demum obsequium accipit, ubi  
parentes habet, & suam potestatem exerit in subjectum cœ-  
tum, ipsum quoq; dominium Eminens summæ potestatis no-  
bilissima pars est, ipsi deniq; peregrini extra verè obtempe-  
rantium ordinem collocantur ; manifestum est, in hos non  
posse exerceri. Nam ex proprietate principis dominium tale  
intelligitur, quam non potest habere in alieno. Ergò invadi-  
tur alienum, quoties peregrino aliquid detrahitur. Id quia ci-  
tra injuriam, quæ sæpè causa belli fuit cruenti & plurimum  
inde secularum cladum, fieri non potest, abstinenda omninò  
manus erit.

XLIV. Si tamen necessitas extrema urgeat, nec qua  
eam subleves copia suppetat, peregrinas verò merces aut o-  
pes, quas desideras, in terram tuam advehi contingat: eripi  
posse dominis, inque communem usum erogari arbitror.  
Non quidem domini eminentis jure, sed eo, quod necessitas  
unicuique in res alterius concedit. Id tamen observandum  
est, compensationem & pretium utique venire præstandum,  
non secus ac in privata necessitate, cum omni illo, quod inter-  
est, nullo habito respectu, in quem usum sit collatum ereptum  
dominium. Id si non fiat, prædonum loco habendi sunt, qui  
aliena invadunt: quin majestatem, cujus subditi spoliati  
sunt, agere contra hos tales, & apertè repetere direptas  
res, & si negentur eadem, ac pretium operæ futurum ap-  
pareat, solemnique bello posse experi-  
ri, dubium haud est.




ULB Halle  
006 302 114


3



VD 17







576.

1  
1658  
3

Q. D. B. V.  
EX POLITICIS  
**Dominium Su-**  
**pereminens,**  
*disquisitioni publicæ sistunt*  
*ad diem 11. Octobris.*  
PRÆSES,  
**M. JOHANNES FRIDERICUS Horn/**  
**BRIGA-SIL.**  
&  
RESPONDENS,  
**JOHANNES GEORGIUS CALOVIUS,**  
**MORUNGA-BORUSSUS.**  
*In Auditorio minori horis consuetis.*  
VVITTEBERGÆ  
Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGÆ.  
LII, ANNO M. DC. LVIII.

